



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 17. Prouerbium quoddam ab illo scriptore qui tam multa alia collegit,
prætermissum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Hos è quarto Æneidos versus Seruius Grammaticus
 oscitanter interpretatus est: ita enim scribit: *Trahit hoc
 de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam
 secantem, quia fato peribat mariti.* Sed apud Euripi-
 dem nulla prorsus, hac quidem in re, Mercurij men-
 tio est. Introducitur quidem Mors, quæ se venisse ait,
 ut illi optimæ mulieri crinem secet: neque tamen id
 fieri ait, quòd illa mariti fato peritura esset. quin osten-
 dit, eum secari solitum eis omnibus quibus fatalis ad-
 uenisset dies. Vniuersè enim pronunciat, eum sacrum
 esse diis manibus, cuius ipsa crinem hasta libauerit. ita
 enim loquitur:

Στείχῃ δ' ἔτ' αὐτὴν, ὡς κατὰ ξομαί ξίφος.

Ἰεὺς γὰρ ἔστ' ἢ καὶ χεῖρὸς θεῶν.

Ὅτι τὸ δ' ἔγγυς κρᾶτος ἀγύλας τείχεα.

Hæc igitur apud Euripidem ὁ θάνατος loquitur: qui
 tamen illic quoque, librariorum vitio, falsò esse puta-
 tur Charon.

*Proverbium quoddam à illo scriptore qui tam multa alia
 collegit, prætermisum.* CAP. XVII.

MULTA ac varia lectionis hominem, qui me-
 moria nostra ex vtriusque linguæ scriptoribus
 tantam vim collegit prouerbiorum, fugere quædam, &
 quidem illustri in primis loco sita: quod quidem mihi
 non nunquam peruideri mirum solet. Nam, si omissa
 essent, quæ vel è raris inuentu, vel obscuris & ignobi-
 libus libris petenda erant, minus mirum foret: at verò
 præterita esse, quæ & in promptu posita sunt, & apud
 præstantissimos auctores leguntur, id verò iustam, vt
 opinor, admirationè habet. Ex hoc numero est, quod
 apud Ciceronem legitur, *familiam ducere.* eo enim pro-
 uerbio homo eloquentissimus utitur, cùm præcipuum
 aliquid

aliquid significat, quodque principem in re quapiam obtineat locum. Ter autem ad me legere memini. Primum in epistola qua C. Trebatium Testam commendat Caesari. nam cum eum multis laudibus affectisset, ad postremum addit. *Accedit etiam, quod familiam ducit, in iure civili singularis memoria, summa scientia.* quibus verbis significauit, hanc primam & praecipuam Trebatij esse laudem: ceteras ei cum multis fortasse communes: hoc esse ipsius paene proprium bonum. Deinde libro quarto De Finibus: vbi Catonem alloquens: *Sed primum illud, inquit, vide: grauissimam illam vestram sententiam, que familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum, honesteque viuere, bonorum suorum communem fore vobis cum omnibus, qui in vna virtute consistuunt sinem bonorum.* Et quinta oratione in Antonium: *Lucius quidem frater eius, utpote qui peregre depugnauit, familiam ducit.*

In bonorum comparatione dissensio inter Platonem & Aristotelem indicata. CAP. XVIII.

INTER multas ac varias bonorum diuisiones quae ab antiquis sapientibus accepimus, haec quoque tradita est. Bonorum pars in suapte tantum vi expetit: neque vsquam aliud referri: alia & per se, & aliorum causa, quae ex ipsis efficiantur: nonnulla etiam, cum in se nihil expetendum habeant, aliorum modo gratia amari. Primi generis est voluptas. neque enim eam propter aliud expetimus, ipsa per se, a quocumque sentiri potest, ei desiderium inuit sui. in secundo ordine sensus collocari licet, quos & per se, & propter vitae commoditates diligimus. sed & valetudinis ac virium firmitates eundem in numerum coniici potest. Tertia, ut ita dixerim,